WZ 346 N122
Medical Library

DE

CORPORIS LAESIONIBUS VI QUADAM MECHANICA ALLATIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-FORENSIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE X. M. AUGUSTI A. MDCCCLVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

OSCARUS GROOS

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

R. VOGEL, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.

F. HEUSNER, MED. ET CHIR. DR.

G. GROOS, THEOL. STUD.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT B. L. BENDIX.

AVO

CARISSIMO

CAROLO GROOS

DUCIS A CONSILIIS CAMERALIBUS

A C

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/corporislaesioni0000osca

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Nostro tempore judiciis cum judicibus juratis publice actis medicinam forensem ad maximum florem pervenisse inter omnes constat aequales. Quo instituto optime et medicus et judex scire potest, quae agendi ratio sibi sit praescripta atque qui modus et terminus utrique sit observandus. Omnium autem maxime ad hanc scientiam excolendam valuit clarissima illa lex poenalis anno MDCCCLI. in patria nostra edita. Neque ulli scientiae parti auctoritas arbitriumque medici tam necessarium, tam grave est, quam quae ad corporis laesiones mechanicas pertinet, quod ille solus signa criminis perscrutari potest. Qua de re si agitur, medicus judicem adjuvet necesse est, quum quod scientia verum agnovit, id judici norma agendi esse debet.

Idem studium, cui jam diutius operam dedi, etiam propterea, ut accuratius tractetur, dignum mihi esse videtur, quia occasio datur multa, quae usque ad id tempus dubia erant, magis magisque aperiendi. Errant autem ii, qui me jam aliquid novi producturum esse putent, quum non sit tironis nova afferre, sed modo probare, quae a praeceptoribus perceperit, ea sese etiam atque etiam animo reputasse atque intellexisse.

Definitio laesionum corporis diversa, si a medico vel a judice exhibetur. Medicus mechanicam laesionem sic definiat, ut dicat: causas esse in corpus vivum vi allatas, quibus corporis functiones vel impediantur vel prorsus deleantur.*)

Medico igitur ad cognoscendam corporis laesionem hae res necessariae sunt:

I. causa externa, quae violando corpus reddit aegrotum.

II. Corporis laesio ipsa, quae inde sequitur.

Multo autem aliam judex dat definitionem, quam non melius exprimere possum, quam verba Clarissimi Feuerbach**) allegans: „Eine Körperverletzung ist jeder nicht in tödtlicher Absicht unternommene, das Wohl-

*) Dr. F. W. Böcker, Lehrbuch der gerichtlichen Medicin. Iserlohn 1837.

**) Feuerbach, Lehrbuch des peinlichen Rechts. §. 244.

befinden störende, rechtswidrige Angriff auf den Körper eines Andern.“

Ad medici igitur arbitrium accedit praeterea injuria damnum inferens. Quam quidem constituere atque causas cognoscere medico non opus est, sed tamen detegere criminis signa.

Quibus expositis si declarare volumus, qua functione medicus in tractanda corporis laesione utatur, illum judici rerum prudentem assistere apparet.

Qualis et quam gravis corporis laesio sit, id judicare medici non est. Sin autem judex a verbo judicii oritur, etiam judicis mehercle est hac de re judicare. Unde porro sequitur, ut, quam gravis aut levis sit laesio, judici pro magnitudine et laesionis et culpae sit statuendum. Insigne quiddam de hac re Dr. Franz*) dicit. Nec facere possum, quin locum, quoad huc pertinet, transscribam. „Ja selbst die Bezeichnungen „leicht und schwer“ hat der Gerichtsarzt besser ganz fallen zu lassen, auch wenn sie im Gesetzbuch seines Landes gewählt sind. Dergleichen

*) Dr. Franz, Gerichtsärztliche Beurtheilung der Körperverletzuugen lebender Personen, in Casper's Vierteljahrsschrift. T. I. Sect. I. p. 96.

Bezeichnungen involviren überhaupt, da sie juristisch sind, bereits ein richterliches Urtheil und stehen als solches dem Arzte gar nicht zu. Der Arzt hat nur durch Mittheilung und Würdigung von Thatsachen die Richter oder Geschwornen möglichst in den Stand zu setzen, darüber zu urtheilen, ob die Körperverletzung eine schwere oder leichte sei, nicht aber das Urtheil selbst zu fällen. Wie gefährlich ist es unter diesen Umständen, wenn der Arzt aus dem objectiven Thatbestande allein das Urtheil über die Körperverletzung in einer bestimmten gesetzlichen Beziehung ausspricht, während diese Beziehung aus der Totalität des Falls geschöpft werden soll? Der Arzt greift vielleicht täuschend dem Urtheile vor und kann möglicher Weise zum Unrecht verleiten. Jedenfalls überschreitet er seine Befugnisse.“

Alii, qui de hoc argumento scripserunt, illi opinioni repugnant, quippe contendunt, verba illa graves et leves laesiones non tam jurisprudentia, quam usu et consuetudine vulgi introducta esse.*) Quod

*) Dr. Klusemann, über die Beurtheilung von Verletzungen an Lebenden, mit Bezug auf das neue Strafgesetz, in Casper's Vierteljahrsschrift. T. II. Sect. II. p. 121.

sane concedendum neque negandum est, quam incerta, quam dubia et omni interpretationi subjecta sint ista verba. Utrum quidem laesio gravis, an levis sit, praecipue judicio et opinione judicis, non per eam ipsam cognosci potest. Quo diligentior igitur circumspectiorque medicus est, eo pejor ejusdem prognosis in laesione quadam erit, dum alter audacior, qui minus periculum timet, in re quadam objecta nullo periculo perturbatur. Jam vero persaepe accidit, ut levis laesio infelicem exitum adducere possit, veluti ex parvo digiti vulnere, ut exemplum afferam, trismus fieri potest. Quae licet ita sint, tamen non omnis laesio gravis et periculosa appellari potest.

Alia ex parte, ut Dr. Franz l. c. praeclare dicit, non omnis laesio, quae arbitrio medici levis est, talis a judice aestimari debet. Laesio enim, quamvis levis sit, tamen injuria ipsa gravis esse potest, atque judex, quamquam medicus declarat, laesionem esse levem, tamen sententiam ferre debet, vulnus esse gravius, quum, ut nova nostra lex poenalis §. 32 praescribit, conatum puniri ut crimen ipsum necesse sit.

Fieri autem non potest, quin secundum legem laesiones in leviores dividantur gravioresque, quo puniendi

modus quidam sit judici datus. Nam quum modi sint poenarum, facile perspicitur, laesionum quoque modos existere debere. Modos vero illos dijudicare medico non licet.

Quae quum satis pateant, facile jam est intellectu, qualem se exhibere debeat medicus, si in laesione quadam judex ab eo quaesiverit, num laesio haec incommoda, quae §. 192. a. codicis nostri poenalis sint praescripta, nempe, ut legis verbis utar ipsis:

I. erhebliche Nachtheile der Gesundheit und

II. eine längere Arbeitsunfähigkeit,

adduxerit, necne.

Primum ut de priore parte legis, quae de incommodis agit, disseram, quid quantumve de voce „erheblich“ statuendum sit, ut equidem arbitror, in lege non est dictum. Quousque vero fines vel majoris vel minoris incommodi ducendi sint, solo hoc verbo medico omnino notum esse non potest. Inde sequitur ex opinione nostra, judicis solius esse pro lege et medici arbitrio, singulis corporis laesionibus a medico plane demonstratis, incommoda talia exorta judicare, qualia satis gravia sint, ut modus poenae a lege constitutus adhiberi possit.

Jam quum omnia spectas, medico, si quidem judicem in judicio faciendo adjuvare vult, pro scientia sua, quemadmodum se habeat valetudo hominis laesi, qualia organi sint laesa, qualesque eorum functiones, tum qualia incommoda e laesione ipsa exorta sese praebeant, demonstrandum videtur. Quibus rebus patefactis judex solus dijudicabit, num grave sit incommodum, necne.

Nunc ad alteram legis allegatae partem transeuntibus nobis haec tantum dicenda sunt. Quid lex voce „Arbeitsunfähigkeit“ dici velit, judici statuendum est, scilicet laesum per aliquod tempus labores suscipere non posse, ut res digna sit judicio.

Neque medico ipsi auctoribus clarissimis Liman*) et Dr. Franz quidquam aliud agendum, nisi ut judici demonstret, functiones organi aut membri cujusdam male affectas vel prorsus deletas esse, quae conditio per tempus quoddam locum habitura sit. Quo facto judex pro lege et medici arbitrio decernet, num laesio talis sit, ut diutius, quae agenda sint, a laeso peragi non possint, necne.

*) Gerichtsassessor Liman, über Körperverletzungen im Sinne des neuen Strafrechts, in Casper's Vierteljahrsschrift. T. I. Sect. II. p. 320.

At quae laesiones omnino et sine exceptione semper mortem afferant, medico, ut statuat, maximi est momenti. Omnes autem laesiones illud omen prae se ferunt, quae allatae, ut scimus, vim vitalem statim sic deleant, ut vitae lux evanescat. Liceat exempla quaedam afferre:

a) si corpus plane contusum est;

b) si cordis aut cerebri aut medullae oblongatae functiones prorsus impeditae sunt;

c) si magna aut sanguinis aut chyli profusio erat, mors est certa. Quod ad probandum omnes causae, quibus haec conditio allata est, medico statuendae sunt.*)

Sic medici agendi ratione in laesionibus aperta nunc ad alia perganus ac primum quidem verba faciamus de variis causis, quae laesionum statum pervertere possint.

---

*) J. H. Schürmayer, Theoretisch-practisches Lehrbuch der gerichtlichen Medicin. Erlangen 1850.

De variis causis, quae laesionum statum pervertere possint.

Causae, quae ad laesiones accedunt, vel externae vel internae sunt. Quae quum statum laesionum magnopere pervertant, maxime et medico et judici cordi esse debet distinguere, utrum laesione ipsa pervocatae sint, necne.

Magna pars causarum jam ante laesionem allatam existere, magna autem pars, dum laesio jam adest, accedere potest.

Ante laesionem allatam hae fere causae saepe reperiuntur, quibus etiam statum normalem perturbari posse fusius explicaturi sumus.

I. Dyscrasiae constitutionales, quarum in numero habentur hae:

a) dyscrasia scorbutica, quae favet ortui haemorrhagiarum.

b) Scrophulosis, quae sanationem prohibere solet, suppuratione interdum sequente.

c) Tuberculosis, qua saepe mors prius affertur quam ipsa laesione, qua quis affectus est. Mortem iisdem rationibus insequi notum est, quibuscum tuberculosis solet conjuncta esse.

d) Syphilis.

e) Spirituosorum frequens abusus, qui organismum humanum saepe commovet, quare laesionum sanationes haud raro admodum retardantur. Evenit etiam persaepe, ut congestiones, paralyses, haemorrhagiae in organa ad vitam sustentandam necessaria incidant.*)

II. Affectiones singularum corporis partium. In quibus numerantur arteriarum vel venarum dilatationes, nec minus cephalaematomata (neonatorum praesertim), tuberculosis infiltrationes, carcinomata, herniae, ossium caries; omnes denique affectiones singularum partium, quo graviores sunt, eo facilius malum eventum, si non mortem, adducere possunt.

III. Natura laesi ipsius persaepe exitum laesio-

*) C. H. Richter, Grundriss der innern Klinik. Leipzig 1853. T. I. p. 376 sqq.

num ita immutare valet, ut in illo mortem afferat, dum in homine validiore sanationem exspectare licet.

IV. Proinde medico observanda sunt in laesis:

a) eorum aetas, b) genus, c) corporis constitutio. Quas res uberius pertractare omitto, quoniam omnibus satis innotuerunt. Ea autem omnia caedis vel laesionis qualitatem commutare possunt, dum modo demonstratur, laesione mortem esse effectam. Ceteroqui laesione jam facta causae exoriuntur, quae pro rerum conditionibus laesionem prorsus aliam reddere possunt. Hae quidem causae saepissime inde emanant, quod laesus male se gessit. Huc pertinent

a) pyaemia, quae haud raro laesione ipsa, veluti maligna suppuratione, phlebitide movetur. Si illa laesum interfecit, judicandum est, num laesione procreata ideoque mortis causa fuerit. Sin demonstrari potest, laesum in nosocomium malo aere et miasmaticis causis impletum esse translatum, ubi pyaemia simulque mors illis ex causis consequuta sit, qui laesionem intulit, culpa absolvatur necesse est.

b) Tetanus traumaticus, qui si vicies incidit, undevicies lethalem habet exitum. Creberrime medicus

non facile exquirere potest, quae ratio inter tetanum et laesionem intercedat.

Denique quaedam sunt de causis nobis dicenda, quae modo ponuntur, quo aegrotus se gerit. Quodsi is secundum falsa praescripta medici male se gerit, medicus; si contra sua sponte, aegrotus, quando laesio in pejus se vertit, accusandus est; at laesoris res agitur, si mortem laesione ipsa, nec aliis ex causis esse consequutam ostenditur.*)

*) F. W. Böcker l. c.

Disquisitio, num laesio reperta in vivo, an in mortuo facta sit.

Frequentissime medicus in magnam dubitationem vocatur, si a judice interrogatur, num homo laesione ipsa interfectus sit, an mors jam prius exstiterit.

Nonnunquam accidit, ut homo perbrevi post laesionem illatam moriatur. Quo facto disquisitio difficillima. Plerumque autem apparent signa quaedam in vulnerum regione, quae inde sequuntur, quod vita tantum parvum temporis spatium explebat. Quibus inventis laesiones vita constante esse factas magis magisque probari potest.

Signa praeclarissima haecce sunt:

I. inflammatio, quae circa vulneris partes videtur, simulque suppuratio inde exorta. Persaepe quaedam sanationis signa conspicis, quum cicatrices vel granulationes in vulnere sese formaverint.

II. Arteriolae et venae minores circa vulnus sanguine impletae marginibus vulneris rubrum dant colorem.

III. Sugillationes saepius in proximo vulnere apparent, quae haud longo intervallo, rubro colore in flavum et fuscum mutato, sensim sensimque evanescunt.

IV. Si adustum corpus est, bullae e cute tolluntur rubra margine circumductae. In quibus dijudicandis videas, utrum revera in via ortae sint, an fortasse post mortem, quod interdum calore summae intensitatis exorto fieri posse inter omnes constat. Nec in cadavere aqua fervida combusto unquam accidit, ut bullae tollantur; epidermis nonnisi membranarum, ut ita dicam, forma desquamatur.

V. Margines vulnerum inflammatione et copia sanguinis adaucti turgescere solent. At si vulnus in cadavere spectas, id nec intumescere, nec valde dehiscere vides.

Si dubium est, id quod interdum usu venit, num, quod in corpore invenitur vulnus, laesione quadam, an ulcere e morbo quodam exortum sit, exactissima sola vulnerum disquisitio medicum, utrum habeat locum, docebit.

De instrumentis laedentibus eorumque vi.

Magni momenti medico forensi, majoris etiam judici est constituere, num, uti persaepe evenit, instrumenta cum laesis inventa laesiones illas adducere potuerint.

Hoc igitur loco certae quaestiones lege sunt praescriptae.

I. Num inventis, quibus laesio facta esse dicitur, instrumentis revera laesio effici potuerit? Qua de causa statuendum est, medicum plane cognitum habere, quae sint instrumenta quique eorum effectus. Hic veterem hujusque usitatam instrumentorum laedentium recensionem sequimur.

a) Instrumenta hebetia omnia, pressu suo noxia, contusiones, rupturas, sugillationes, nec minus fracturas gignunt. Haud raro instrumentum illud laedens

tumoris et sugillationis insequentis forma agnoscitur. Item vulnera instrumentis hebetibus icta margines offerunt laciniatas imparesque, non dehiscunt, suppuratione sanantur.

b) Instrumenta acuta faciunt plagas, ictus et vulnera. Quotiescunque talia vulnera a medico cernuntur, et ambitum et profunditatem eorum cum instrumento in vulnus inducto comparari necesse est. Margines acute dissectae his vulneribus sunt propriae.*)

c) Tela quum contusiones varii generis, tum canales rotundos afferunt, aperturis, ex quibus pilae exeunt, aut patentibus aut clausis. Haud raro tamen pilae miras in vias in corpore aberrant.**)

Telorum vulnera quasi cultro effecta videntur, si pila ex propinquo maxima vi in corpus injecta est. Sin aperturam spectas, qua pila injecta est, vulneris margo in aperturam se praebet retractam. Apertura autem, unde pila illa elata est, semper irregulari forma aut crucis aut stellae in figuram redacta est.

Pila longo intervallo interjecto quum in corpus

*) Vidal's Handbuch der Chirurgie und Operationslehre. deutsch bearbeitet von Dr. Bardeleben. T. II. p. 25.

**) Dr. Martin Frank, Encyclopädie der Chirurgie. Würzburg 1854. p. 719.

incidit, contusiones tantum simulque sugillationes in partibus, quae circum vulnus circumjacent, efficit: quae quidem ossa pilis in corpore continguntur, ea franguntur, si non prorsus comminuuntur.

II. Est autem altera quaestio judicis haec: num ex vulnerum magnitudine eorumque situ de virium laesoris modo conclusio fieri possit? Quod exacte absolvere semper fere permittitur, quum laesionum rationes, nec minus instrumentum, quo laesio allata, diligenter contemplaris.

De variis laesionibus ipsis.

I. Vulnera simplicia. Sunt haec recentes vi quadam mechanica adhibita factae dissectiones corporis partium imprimisque cutis. Simplicissimum quodque in superficie corporis situm instrumentisque acutis allatum vulnus minime periculosissimum. Vulnera omnia in superficie corporis sita, secundum communem omnium experientiam, eo celerius sanantur, quo propius sunt cordi et quo minus toti vitae organa sunt gravia. Quae vulnera contusione quadam effecta sunt, haemorrhagia aut suppuratione interdum profusissima nonnunquam sanandi modum perturbant. Non mirandum est, quod corpus in paralyseos statum vulneribus contusione egregiis saepius adducitur.*)

II. Contusiones, quae corporis organa aut dete-

*) Vidal-Bardeleben, Handbuch der Chirurgie l. c.

runt aut prorsus comminuunt. Quae quidem saepissime vulneribus adauctae sunt. Earum vis eo magis vel minus cernitur, quo majori vel minori impetu corpus percutitur. Sugillationes, ecchymoses haud rarae rubrum colorem cutis procreant, quod tamen genus coloris, ut supra jam demonstravimus, perbrevi in alios transmutatur.*) At caveas, ne sugillationes istas confundas cum mortis illis signis, quae „Todtenflecke“ nominantur, quippe quae iis simillima sint. Ad distinguendum utrumque haec animadvertas:

quod „Todtenflecke“ nominatur, semper certum signum mortis est, dilutumque colorem fere coeruleum praebet. Fines macularum valde diffusi imprimisque eae in corporis partibus inferioribus inveniuntur. Dum sugillatio e cute prominet, quod magna sanguinis in organorum interstitiis infiltrati copia efficitur, maculae illae, ut ita dicam, non prominent, quippe quae transsudatio tantum in sero sanguinis soluti pigmenti sint.

III. Commotiones eaeque magnae corporis partium conquassationes maximi momenti sunt, quum sem-

*) Chelius, Handbuch der Chirurgie l. c.

per fere aut partium rupturis, aut haemorrhagiis, aut inflammationibus, aut sanguinis stasi adaugeantur. Quo gravior toti vitae quaeque corporis pars, tanto pejor prognosis.

IV. Fracturae et luxationes. Quamquam in hujusmodi causis rarissime accidit, ut mors afferatur, saepissime tamen usu venit, ut status ille provocetur, quo diutius, quae agenda singulis sunt, peragi non possunt. Cranii, ossium columnae vertebralis imprimisque corporis vertebrarum singularum fracturae, nec minus femoris et cruris, antibrachii et humeri tales sunt, quales statum illum supra demonstratum suppeditent.*)

V. Combustiones partem ad vitam bene agendam omnino necessariae aut funditus tollere, aut per longum tempus debilitare possunt. At ut cutis maxima pars combusta est, haud raro inflammationes graves insequuntur, quae fatum mortis afferunt, suppurationes profusissimae et gangraena, ne alia dicam.

VI. Congelationes, quae sic efficiuntur, ut magnae vi frigoris quispiam exponatur. Quo accidit, ut sanguis in partibus in corpore interno sitis magis magisque

*) B. Brach, Chirurgia forensis specialis. Col. 1843. p. 193 sqq.

copia crescente stagnet, dum mors denique obitur. Congelationes haud raro inflammationes graves corporis partium, suppurationes ac denique gangraena sequuntur; quae quum in extremitatibus oriantur, partis amputationem postulari non ignoramus.

VITA.

Ego, Oscarus Groos, Laasphiae in pago Wittgensteniensi die XIX. mensis Decembris a. MDCCCXXXV. natus sum patre Eduardo Alberto, medico practico, matre Carolina e gente Abresch, quos adhuc viventes animo intimo veneror. Fidem confiteor evangelicam.

Litterarum rudimentis aliisque, quibus pueri imbui solent, disciplinis a praeceptoribus privatis instructus anno MDCCCL. gymnasium Arnsbergense petii, quod directore Clarissimo Hoegg adhuc floret. Quo per septem semestria frequentato, maturitatis testimonium adeptus, Bonnam in litterarum universitatem abii atque a rectore magnifico Ill. Sell in civium academicorum numerum adscriptus sum. Quo facto per duo semestria virorum Illustrissimorum praeceptis frui mihi licuit.

Vere anni MDCCCLIV. in almam litterarum universitatem Gissensem me contuli, ibique a rectore magnificico Ill. Knobel civibus academicis adscriptus duo per semestria scholis medicis interfui.

Tum autumno anni sequentis almam universitatem Rhenanam repetii et autumno anni superioris ad studia mea absolvenda almae hujus universitatis Fridericae Guilelmae civis factus sum.

Disserentes audivi viros Illustrissimos, Clarissimos, Experientissimos

Bonnae: I. M. Weber de anatomia; Mayer de anatomia et arte cadavera secandi; Helmholtz de anatomia; Budge de physiologia; Pluecker de physice; Bischof de chemia; Treviranus de botanice; Walker de logice; Ueberweg de psychologia; Albers de pathologia speciali; Schauenburg de chirurgia; Boecker de medicina forensi et de materia medica; Wutzer de morbis syphiliticis; C. O. Weber de fracturis et luxationibus, nec minus de fasciis rite applicandis; Naumann de encyclopaedia et methodologia medicinali.

Gissae: Ettling de mineralogia; Leuckart de zoologia; de Rittgen de arte obstetricia; Will de chemia organica; Winther de pathologia.

Berolini: Rud. Virchow de anatomia pathologica; Du Bois-Reymond de electricitate medicorum studio accommodata; Hoppe de anatomia microscopica; B. Schultz de morbis mulierum.

Scholis clinicis interfui virorum Ill. Cel. Exp. Naumann, Busch jun., Schoenlein, Busch sen., de Bàerensprung, Traube.

Quibus viris omnibus de me optime meritis summas ago gratias.

Jam tentaminibus tam philosophico quam medico et examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine superatis fore spero, ut dissertatione thesibusque defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Varices haemorrhoidales facillime cedunt ferro candenti.

II.

Multae dyscrasiae adhuc acceptae solidarum partium mutationibus accuratius cognitis rejicientur.

III.

In peritonitide depletio vasorum localis, hirudinibus effecta, maxime valet ad tollendum dolorem.

IV.

Perforatio infantis vivi interdum necessaria.

V.

Nullum est exanthema, quod in interiora repelli possit, itaque morbus nullus, qui hac ex causa pendeat.

VI.

Ad medicum maxime illa cura pertinet, ut sit mens sana in corpore sano.